Sprawozdanie

DYREKCYI C. K. GIMNAZYUM

w STRYJU

za rok szkolny 1903.

TREŚĆ:

STRYJ.
NAKŁADEM FUNDUSZU NAUKOWEGO.
DRUKIEM A. MÜLLERA SYNA
1903.

De Vergilii in Augustum animo

scripsit

Ladislaus Hreczkowski.

Scriptores antiqui, qui P. Vergilii Maronis mentionem faciunt, non multa nobis tradiderunt, quae ad depingendum illustrandumque eius in Caesarem Octavianum Augustum animum pertinerent. Neque quidquam amplius aevi recentioris viri docti et scriptores, qui in Vergilii vita operibusque eius illustrandis operam collocaverunt, de hac quaestione composuerunt fusiusque disputaverunt. Quicumque tamen Maronis opera perlegerit, non poterit non comprobare poetam in illis praestantissimis operibus multa sui in Augustum animi ingeniique pressisse vestigia, ex quibus apparet poetam operam navasse, ut non solum compositio grandis, sed etiam Augusto, primo Romanorum imperatore, digna esset. At Vergilius est is Romanorum scriptor, qui quamquam plurimorum omnique laude florentium virorum studia est expertus, tamen tantam praebeat etiam adhuc ad meditandum commentandumque materiam, ut homines et ingenio et doctrina praediti et abundantes, si totam aetatem in uno hoc scriptore emendando, explicando, illustrando contriverint, rem vix possint adducere eo, quo cupiant.

Nos autem conabimur supra dictam quaestionem tractare atque necessarium ducimus in hos omnes Vergilii poematum locos, qui ad Octavianum Augustum spectant, inquirere eosque in hac disputatiuncula afferre. Optinum etiam videtur nobis perspicuitatis causa eodem ordine, quo nunc disposita opera habemus, chronologicum quem dicunt, perlustrare ac deinde, quid ex singulis locis sequatur, summatim referre et repetere.

I.

Vergilium usque ad XVI. annum aetatis suae Cremonae vixisse inter omnes fere constat eoque anno (55 a. Ch. n.) sumpta toga virili Mediolanum se contulisse et paulo post Neapolim. Hinc c. a. 47 a. Ch. n. poeta Romam venit, ubi apud philosophum Epicureum Syronem studia sua philosophiae dedidit.[1]) In Donati vita Maronis § 7—8. hoc de tempore legimus haec: „Sed Vergilius Cremona Mediolanum et inde paulo post Neapolim transiit. Ubi cum litteris et Graecis et Latinis vehementissimam operam dedisset, tandem omni cura omnique studio indulsit medicinae et mathematicae. Quibus rebus cum ante alios eruditior peritiorque esset, se in Urbem contulit": Inde conicere possumus Vergilium eo tempore Romae familiaritatem quandam contraxisse cum iis juvenibus, qui tunc Romae studiorum causa commorabantur. In quorum numero fuisse videtur etiam Octavius, qui postea Octavianus Augustus est appellatus. (Cnf. quae adnotavit Donatus in vita Vergilii § 12—18.) Cum autem minus prospera valetudine et innata quadam timiditate a vita publica revocatus c. a. 45 a. Ch. n. in praedium Andinum rediisset Maro, contulit se mox in agrum suum ibique carmina minoris generis scripsisse videtur[2]), quorum Culex, Copa, Moretum, ex Catalectis et Priapeis quaedam ipsi poetae nostro tribui posse videntur.

Sed nos nunc inquiramus in *Culicem,* cuius argumentum cum Vergilii Bucolicis bene convenit et est vere „iuvenilis lusus" nostri poetae.[3])

---

[1]) Albertus Forbiger. Dissertatio de Vergilii vita pag. X.

[2]) Cnf. Donat. § 28—29.

[3]) Vide, quae adnotavit Siegfried Lederer in commentatione: »Ist Vergil der Verfasser von „Culex" und „Ciris"?» pag. 27: Vergil schrieb einen Culex geraume Zeit vor den Eclogen, nach Donatus (vita 17 [28]) 16 Jahre alt, nach Statius (silvae 2, 7, 73) 26 Jahre alt, also im Jahre 54. oder (was ich für unwahrscheinlich halte) im Jahre 44. Die oben gegebene Analyse der metrischen Eigenthümlichkeiten des uns erhaltenen Culex zeigt, dass dieses Gedicht dem Vergil zugeschrieben werden kann. Aus der Jugend des Dichters erklärt sich das Schülerhafte etc. Das Gedicht blieb wegen der grossen Jugend des Verfassers, vielleicht auch weil die inneren Mängel die äussere Formvollendung übertrafen, durch Jahre wenig gekannt. Da errang Vergil mit den Eclogen einen durchgreifenden Erfolg. Die allgemeine Aufmerksamkeit

Narrationi de culice[4]) praeposuit Vergilius dedicationem, in qua Octavio, qui usque ad a. 44 a. Ch. n. hoc nomine erat appellatus, carmen suum vovet.[5]) Cuius carminis exordium, quod 41 versibus continetur, ostendit poetae gratam et caram fuisse familiaritatem Augusti, cuius haud immemor hoc modo eum alloquitur:

Lusimus, Octavi, gracili modulante Thalia
Atque, ut araneoli, tenuem formavimus orsum.
(v. 1—2.)

Sed variis negotiis rusticis districtus non potest Maro totam operam Musis navare; pollicetur igitur se postero tempore maius opus esse scripturum:

Posterius graviore sono tibi Musa loquetur
Nostra, dabunt cum maturos mihi tempora fructus,
Ut tibi digna tuo poliantur carmina sensu.
(v. 8—10)

Orat deinde poeta Apollinem, ut in componendo hoc carmine adiuvetur atque praeterea adfatur Octavium:

Et tu, cui meritis oritur fiducia tantis,
Octavi venerande, meis allabere coeptis,
Sancte puer, tibi namque....
(v. 23—25.)

---

war auf ihn gelenkt. Wie es in solchen Fällen zu gehen pflegt, begann man sich nun auch um das zu kümmern, was aus der Zeit vor den Eclogen herrührte": — Sunt tamen viri docti, qui putent Maronis Culicem interiisse et nobis solam imitationem tantum esse servatam. Quae res nobis minus probabilis videtur. Potuit enim poeta, cum se in agrum Andinum contulisset, Culicem dedicasse Octavio, cuius sodalis aequalisque Romae fuit, — quod patet etiam ex Donati vita Vergilii § 12—18. Ignoramus quidem occasionem et causam Culicis componendi, sed nihil invenitur, quod nostrae opinioni repugnare possit. Lederero videtur Culex primum scriptus esse c. a. 54 vel 44 a. Ch. n. Sed — ut opinatur Ledererus — est denuo a Vergilio correctus et in hac forma, qua nunc habemus, servatus Culex, (pag. 29 eius dissert.) Cnf. Mart: Schantzium pag. 49—51. (Gesch. der röm. Litt.)

[4]) Culicis argumentum est hoc: Pastor quidam, qui gregem in pascua mane eduxit, fatigatus aestu obdormivit. Tum eximiae magnitudinis serpens ad pastorem properavit. Sed forte e palude culex provolavit et pastori aculeum fixit. Expergefactus e somno pastor manu culicem interemit et arrepto trunco serpentem trucidavit. Cum sequente nocte culicis umbra pastori se in somno obtulisset eique errores suos per loca infera exposuisset, pastor sepulcrum cum elogio culici statuit.

[5]) Vide Ribb. Gesch. der röm. Dichtung pag. 350.

Non est narraturus poeta aut Gigantomachiam aut pugnam Lapitharum cum Centauris, sed argumentum et materia carminis, quod composuit, levis est et apta viribus iuvenilibus poetae. Quo carmine, quamquam humili, divulgabitur quoque gloria in Octavii honorem:

Hoc tu, sancte puer, memoraberis et tibi crescet
Gloria perpetuum lucens, mansura per aevum,
Et tibi sede pia maneat locus et tibi sospes
Debita felices numeretur vita per annos,
Grata, bonis lucens.

(v. 37—41.)

Quamquam igitur expososituri, quibus rebus adductus Vergilius Octavii, i. e. Octaviani, mentionem in Culice fecerit, certam causam affere non possumus, tamen quaerentibus nobis, quo animo poeta iuvenis hoc tempore, cum iam in praedio Andino vitam agebat, in Augustum fuerit, vir nobis apparet, qui Octavianum summa cum pietate dilexerat. Sed ipse ille „iuvenilis lusus“ non multum probare potest ad demonstrandum in universum Vergilii in Augustum animum. Itaque nondum argumentorum copia exhausta.

II.

Post Mutinensem pugnam (a. 43 a. Ch. n.) provinciae Transpadanae, quae Mantuanam regionem amplectebatur, praefecit Antonius Asinium Polionem. Qui nobili genere ortus, „leporum disertus puer ac facetiarum“, non solum ipse litteras artesque coluit, sed etiam eos, a quibus illas coli comperisset. Cum vero tale eius viri ingenium esset, fieri non potuit, quin Polio Maroni aditum ad se daret.[6]) A quo excitatus composuit annis 43—38 aut 37 a. Ch. n. carmina bucolica sive Eclogas. Qui anni incidunt in illos motus, qui totam Italiam concusserunt. Post pugnam enim ad Philippos factam (a. 42 a. Ch. n.) dimiserunt Octavianus et Antonius emeritos milites et eos in Italiam redire iusserunt. Octavianus ipse Romam reversus, divisionem agrorum est aggressus. Vere anni 41 a. Ch. n. misit turbam veteranorum

[6]) Cnf. Ecl. VIII. 10 squ.

in Galliam Transpadanam ad occupandos agros urbis Cremonae, quae aut secuta est partes Bruti et Cassii, aut non miserat Augusto auxilium.[7]) Sed cum non sufficerent veteranis agri, qui erant designati, illi vicinos quoque Mantuae et Andium agros invaserunt.[8]) Qua re factum est, ut et Vergilio praedium eriperetur a Claudio quodam, milite veterano. Sed poeta sive suo sive Asinii Polionis auxilio et consilio Romam est profectus, ut ab Octaviano peteret, ut sibi agri redderentur.[9]) Cuius liberalitate cum agros suos recepisset, celebravit hoc beneficium *Ecloga prima:*

O Meliboee, deus nobis haec otia fecit.
Namque erit ille mihi semper deus; illius aram
Saepe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.
Ille meas errare boves, ut ceruis, et ipsum
Ludere, quae vellem, calamo permisit agresti.
(v. 6—10.)

Poeta, qui sub Tityri persona latet, Octavianum dicit deum. Non possumus hoc loco cogitare de Octaviano iam publice relato in deorum numerum, in quo demum post mortem a. 14 p. Ch. n. est collocatus, quamquam iam ab anno 28 a. Ch. n. deus appellari et coli est coeptus. Sed appellatur a poeta Octavianus deus e satis noto usu veterum hominum, ex quo vir de aliquo meritus deus ei nuncupabatur. Deum etiam Cicero Lentulum[10]), deos Horatius non solum Octavianum, sed etiam Maecenatem et Agrippam dixit.[11]) Appellatur praeterea Octavianus deus non solum supra dictis versibus, sed etiam vv. 41—46. ecl. I:

Quid facerem? neque servitio me exire licebat,
Nec tam praesentes alibi cognoscere divos
Hic illum vidi iuvenem, Meliboee, quotannis
Bis senos cui nostra dies altaria fumant.
Hic mihi responsum primus dedit ille petenti:
„Pascite, ut ante, boves pueri; submittite tauros“.

---

[7]) Appian. b. civ. V, 13.

[8]) Cnf. Ecl. IX, 28 et Appian. bell. civ. V, 22.

[9]) Serv. Comment. in Buc. Prooem. § 14: »Postea ab Augusto missis triumviris et ipsi integer ager est redditus et Mantuanis pro parte“.

[10]) Cicero pro Sestio C. 69, 144: Lentulum, cuius ego patrem deum ac parentem statuo fortunae ac nominis mei.

[11]) Serm. II, 6, 52: deos quoniam propius contigis.

Hoc loco poeta appellat Octavianum iuvenem, quem ut Larem domesticum colit eique sacra domestica constituit.
Schaperus in Quaest. Verg. pag. 5—7. putat quattuor hos versus:

7. namque erit ille mihi semper deus; illius aram
8. Saepe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.
42. Nec tam praesentes alibi cognoscere divos
44. Bis senos cui nostra dies altaria fumant

post a. 30 a. Ch. n. eclogae I. addittos esse. Hoc enim anno Augusto saera fieri sunt coepta. (Cass. Dio hist. rom. 51, 19: ἔν τε τοῖς γενεθλίοις αὐτοῦ καὶ ἐν τῇ τῆς ἀγγελίας τῆς νίκης ἡμέρα ἱερομηνίαν εἶναι ἔγνωσαν.) Labefactatur tamen sententia Schaperi. Eius enim argumenta, quae attulit, nihil possunt probare: bucolica omnino non sunt a Vergilio retractata ac denuo edita.

Itaque si primam Eclogam, a nobis pertractatam, respicimus, cum Ribbeckio concludere possumus[12]) poetam otio et securitate Octaviani auxilio fruentem eius erga se benevolentiam adeo extollere, ut similem felicitatem aliis quoque popularibus foras turbatis exoptet.

Sed non diu mansit haec laeta ac prospera conditio rerum. Brevi enim tempore extrema fere aestate a. 41 a. Ch. n. bello Perusino exorto Polio Galliam Cisalpinam reliquit, ut opem L. Antonio et Fulviae ferret, in eius autem locum est substitutus ab Octaviano et praefectus agris dividendis legatus Alfenus Varus.[13]) Novo timore captus Vergilius Varum precibus adiit, ut agros Mantuanos sibi incolumes manere iuberet et promisit se pro hoc beneficio facta eius celebraturum esse carminibus.[14]) Nihilominus Varus rursus partem agrorum Mantuanis eripi passus est,[15]) ut videtur, invitus, sed coactus licentia veteranorum. Tum Arrio cuidem centurioni datus est ager Vergilii, qui paene ab eo interfectus,[16]) Romam abiit ibique mense Junio aut Julio a. 40

[12]) Proleg. critica pag. 5.

[13]) Cnf. Sero. ad Ecl. VI, 6; IX, 10, 29;

[14]) Vide Ecl. IX, 26; VI, 3;

[15]) Vide Sero. ad Ecl. IX. 7;

[16]) Cnf Serv. in Prooem. Comment. pag. 2. et Donat. § 31, 36, 95. Militis nomen aliud tradit Pomp. Sabinus, qui pro Arrio Millienum Toronem, centurionem primipilarem, commemorat.

a. Ch. n. scripsit *nonam Eclogam*, in qua agrum suum contra Octaviani iussum sibi ereptum conqueritur. Vergilius adulatur Octavianum Caesarem inter deos beneficos referendo:

„Daphni, quid antiquos signorum suspicis ortus?
Ecce Dionaei processit Caesaris astrum,
Astrum, quo segetes gauderent frugibus et quo
Duceret apricis in collibus uva colorem“:

(v. 46—49.)

Vergilius igitur commemorat J. Caesarem, cuius alii poetae Augusteae aetatis nusquam fere faciunt mentionem, quasi timerent, ne illo celebrato laudes Augusti minuantur. Quo loco significatur stella crinita, non multo post J. Caesaris mortem visa, quam animam Caesaris esse inter deos recepti populus putabat. (Cnf. Suet. Caes. C. 88.) Quae stella fingitur proventum bonum frugum ominari et maturare.

Ecloga IX. effecit poeta, ut sibi ager intercedentibus Polione et Maecenate[17]) autumno eiusdem anni redderetur aliisque etiam Mantuanis pars agrorum restitueretur. Dubitari tamen non potest, quin consilium Vergilii fuerit, ut haec Ecloga ab ipso Octaviano legeretur. „Conqueritur enim poeta tantam vim sibi illatam esse, ut carminum quorundam, quae maxime imperatori placuisse videri possunt — ut recte animadvertit Ribbeckius Proleg. pag. 8. — memoriam lectori quasi in animum revocet. Menalcam enim non pastorem, sed ipsum poetam nostrum intellegendum esse etiam expressis verbis adnotavit Quintilianus VIII, 6, 47“: His enim IX. Eclogae versibus, quibus magna querelarum vis inest, Moeris a Lycida viae causam interrogatus, calamitates suas dominique Menalcae iniurias ac pericula perfecte pingit planeque exprimit:

O Lycida, vivi pervenimus, advena nostri
— Quod nunquam veriti sumus — ut possessor agelli
Diceret: „Haec mea sunt; veteres migrate coloni“:
Nunc victi, tristes, quoniam Fors omnia versat,
Hos illi — quod nec vertat bene — mittimus haedos.

(v. 2—6.)

---

[17]) Cnf. Donat. § 36, 96; Serv. ad Ecl. IX, 11.

Sed carmina Vergilii valent „tela inter Martia" — „quantum Chaonias dicunt aquila veniente columbas" (v. 13) Et cum Octaviani promissis fretus poeta ex suis possessionibus cedere recusaret, paene Arius eum interfecit, „nec tuus hic Moeris nec viveret ipse Menalcas": (v. 16.)

III.

Eclogis sive carminibus bucolicis effecit Vergilius,ut se in amicitiam et familiaritatem C. Asinii Polionis, Alfeni Vari, Cornelii Galli (ecl. 10.), L. Varii, Horatii, denique Maecenatis, cui a Polione erat commendatus, applicaret. Qui cum pro eo intercessisset apud Octavianum Augustum (ecl. 9.), adeptus est etiam poeta noster ipsius Octaviani amicitiam.[18]) Ex quo tempore raro Vergilius in praedio Andino vixit, sed plerumque Romae commorabatur, cum magna apud Maecenatem gloria floreret. (Cnf. Hor. Carm. ad Pis. v. 218 sq. et Martial. VIII, 56.) Causa huius fere amicitiae fuit idem litterarum et poesis studium, quod homines doctos ac poetas in Polionis ac Maecenatis domo frequenter congregavit. Anno autem 38 aut 37 a. Ch. n. aggressus est Maro ad *Georgica* componenda, ut patroni suo Maecenati, a quo ad hoc carmen efficiendum erat excitatus, satisfacere posset. Quod opus demum a. 30 a. Ch. n. absolvit, cum septennium in eo componendo consumpsisset.[19]) Carmen id ut scriberet, videtur conditione illorum temporum adductus esse. Nam agriculturam Romani

---

[18]) Schanzius Hist. litt. Rom. pag. 8. et 14.

[19]) Donat. § 40. — Non nostrum esse videtur hoc loco considerare ac disserere, quibus temporibus Georgica sint scripta. Sed iam a poeta hoc tempus indicatum esse videtur. Anno enim 37. a. Ch. n. poeta Georgica exorsus cecinit extremum eclogam, absolvit autem Georgica, cum **Augustus ad Euphratem fulminaret.** Quae verba sunt intellegenda de anno 30 a. Ch. n., quo Augustus victoria Actiaca reportata in Syria commorabatur. Hanc Forbigeri sententiam in dissertatione de vita Vergilii pag. XVI. (adnot. 47.) probabilem esse censeo. Aliter de ea re Borgius [De temporibus, quibus Vergilii Georgica scripta et perfecta sint.], qui putat Georgica annis 32—29. a. Ch. n. composita esse. Schaperus autem [De Georgicis a Vergilio emendatis.] affirmat secundam Georgicorum editionem a. 25 a. Ch. n. prodiisse.

inter bella civilia plane neglexerunt. Itaque pace restituta praecepit Maecenas Maroni, ut Romanis Georgicis agriculturam commendaret.[20])

In libri I. exordio, quo argumentum totius carminis exponitur, dedicat poeta hunc librum (vv. 1—5.) Maecenati, cuius hortatu precibusque adductus Georgica componere est aggressus:

Quid faciat laetas segetes, quo sidere terram
Vertere, Maecenas, ulmisque adiungere vitis
Conveniat, quae cura boum, qui cultus habendo
Sit pecori, apibus quanta experientia parcis,
Hic canere incipiam.

(vv. 1—5. l. I.)

Inde in invocatione numinum (vv. 5—42.) praefatur poeta ex Romanorum adulatione Caesarem Octavianum tamquam brevi tempore futurum deum atque profitetur se non posse decernere, cui ordini deorum Caesarem sit adiuncturus, — utrum terrestrium an caelestium an marinorum. Quam rem facit ab arbitrio ipsius Octaviani suspensam:

Tuque adeo, quem mox quae sint habitura deorum
Concilia incertum est, urbisne invisere, Caesar,
Terrarumque velis curam et te maximus orbis
Auctorem frugum tempestatumque potentem
Accipiat, cingens materna tempora myrto,
An deus immensi venias maris ac tua nautae
Numina sola colant, tibi serviat ultima Thule....

(vv. 24—30. l. I.)

Poeta verbis „materna myrto“ vult significare Octavianum Augustum ob divinam gentis suae originem dignum esse, ut referatur inter deos. Augustus enim habuit originem ab Julo, qui fuit sive filius sive nepos Aeneae, cuius mater Venus erat. Non est danda tamen haec invocatio adulationi, sed potius veritati. Nam cum omnes imperatores post mortem inter deos essent relati, Augustus vivus meruit honores divinos.[21]) Caesar appella-

---

[20]) Ribbeckius. Gesch. der röm. Dicht. II, 34;

[21]) Hic locus est referendus ad a. 36 a. Ch. n., cum Senatus decreto Octavianus victoria ab Agrippa de Sex. Pompeio reportata in singulis civitatibus inter deos municipales coli coepisset. (Appian. b. civ. V, 132.)

tur a Vergilio „auctor frugum tempestatumque potens", pace enim recuperata — ut recte animadvertit Ribb. Proleg. pag. 15. —sperat Vergilius ab Augusto Octaviano cautum iri, ne postea umquam laboret Italia et Roma caritate annonae.

Adscriptum inter deos Augustum decet Thetyi nubere et non sufficit Caesarem in stellam aliquam mutatum splendidissimis sideribus Zodiaci adiungi:

Teque sibi generum Thetys emat omnibus undis,
Anne novum tardis sidus te mensibus addas,
Qua locus Erigonen inter Chelasque sequentis
Panditur — ipse tibi iam bracchia contrahit ardens
Scorpios et caeli iusta plus parte reliquit—
(vv. 31—35 l. I.)

Magnificum phantasma cum adulatione inest huic loco, qui Octaviano a Vergilio adsignatur. Locat enim eum inter Erigonen, i. e. Virginem, quam alii Astream seu Iustitiam vocant, et inter Scorpium. Hunc igitur locum vindicat Vergilius Augusto et celebrat ipsius iustitiam et aequitatem. Neque adscribit tamen Augustum diis inferis:

Quidquid eris, — nam te nec sperant Tartara regem,
Nec tibi regnandi veniat tam dira cupido,
Quamvis Elysios miretur Graecia campos
Nec repetita sequi curat Proserpina matrem —
(vv. 36—39. l. I.)

quamquam ibi sunt Elysii campi, celebrati a Graecis et ipsi Proserpinae placentes.

Quasi numen suum tutelare invocat poeta Octavianum, ut se in suscepto cursu carminis componendi comitetur:

Da facilem cursum atque audacibus adnue coeptis
Ignarosque viae mecum miseratus agrestis
Ingredere et votis iam nunc adsuesce vocari.
(vv. 40—42. l. I.)

Ex his supra dictis locis apparet Vergilii in Augustum animum magis magisque crescere. Poeta celebrat Octavianum tamquam Romanorum deum et ἥρωα habetque hanc firmam fidem tutelam Augusti Romanis salutarem fore.

Quam locorum seriem considerantibus apparet quoque poetae orationem esse elatam et fere magnificam. De quo genere dicen-

di adnotat haec Ribbeckius (propriis eius verbis utimur): „Diesen Huldigungen gibt der Dichter begeisterten Ausdruck, allerdings im jenen vegötternden Stil, wie ihn die alexandrinischen Hofpoeten aufgebracht haben“.[22]) Quibus in rebus exponendis ornandisque copiosus est poeta, sed multo ornatius est episodium, in quo dicendi ubertas et sublimitas perspicitur. Prodigiis enim, quae C. Julii Caesaris necem portenderunt, adiunxit poeta vota pro Augusto (vv. 498—504. libri I.) Ea, quae his versibus leguntur, scripta esse videntur post a. 36 a. Ch. n., cum Romanorum animi multis prodigiis turbarentur; nam inter triumviros parum firma erat fides et paulo post graves inimicitiae inter M. Antonium et Octavianum ad bellum spectare coeperunt.[23]) (Dio 48. extr.)

Quae omnia in unum confert poeta, ut gravior et severior sit eius sententia. Hac de causa orat poeta omnibus precibus deos immortales, ut Octavianus possit eorum auxilio rem publicam regere et belli civilis scelera expiare:

Dii patrii, Indigetes et Romule Vestaque mater,
Quae Tuscum Tiberim et Romana Palatia servas,
Hunc saltem everso iuvenem succurrere saeclo
Ne prohibite!

(v 498—500 l. I.)

Unus est Caesar, qui possit succurrere huic infelicitati temporum. Hic potest deorum iras placare. At est verendum, ne ipse diis par et mox futurus deus Romanis eripiatur.

Quamquam nondum triumphaverat Octavianus, cui demum Sexto Pompeio devicto a. 36 a. Ch. n. est decreta ovatio, tamen oportet eum vivere et in sua vita triumphos agere:

---

[22]) Gesch. der röm Dicht. (Ribb.) pag. 41. Tom. II.

[23]) Cnf. Borgii dissert. De temporibus ,.,, pag. 17. Alienum non esse hoc loco videtur eius ipsius verbis uti: Quodsi quaerimus, quo tempore haec verba scripta sint, ultro, si versus 500 et 509 spectamus, in quibus solis certa aetatis iudicia inesse videntur, ad tempora pugnae Actiacae praecedentia adducimur; nisi illo tempore enim post annum 718. (36 a. Ch. n.) Octavianus non periclitatus est. Illo autem tempore quum Euphrates vel gentes Orientis cum Cleopatra consociatae movebant, tum Germania, nam verisimile est illo ipso tempore, quo Octavianus ab Italia aberat, Suevos Rhenum transgressos esse.

Jam pridem nobis caeli te regia, Caesar,
Invidet atque hominum queritur curare triumphos...
(v. 503—504. l. I.)

Sed nunc transeamus *ad illam libri II.* digressionem, quae continetur vv. 136—176. Hae sunt praeclarae laudes Italiae. Quantopere autem praestitisse putabimus Italiam, si eam cum nostrorum temporum habitu comparemus! Praestantissimis Italiae viris ducibusque in hac digressione adnumeratur a Vergilio Octavianus Augustus, qui post Actiacam pugnam iter fecit per Syriam in provinciam Asiam ibique res constituit hieme exacta ad Euphratem a. 30 a. Ch. n. (Cassius Dio 51, 18—21.):

Haec Decios, Marios, magnosque Camillos,
Scipiadas duros bello, et te, maxume Caesar,
Qui nunc extremis Asiae iam victor in oris
Imbellem avertis Romanis arcibus Indum
(v. 169—172. l. II.)

Hic locus haud dubie est scriptus post pugnam Actiacam, quo tempore Octavianus in Aegyptum et ad gentes Orientis contendit. (Vide Ribb. Gesch. der röm. Dicht. II, 42. et eiusd. Proleg. pag. 18.)

Enititur Maro, ut qualibet sibi oblata occasione utatur ad celebrandum Augustum et eius opera. Cum igitur Octavianus a. 36 a. Ch. n. portum Baianum commodiorem et tutiorem ita reddidisset, ut lacum Lucrinum cum Averno iungeret,[24]) (Dio 48, 50—51.) operis huius Vergilius meminit l. II. vv. 161—164:

An memorem portus Lucrinoque addita claustra
Atque indignatum magnis stridoribus aequor,
Iulia qua ponto longe sonat unda refuso
Tyrrhenusque fretis immittitur aestus Avernis?

Nunc progrediemur *ad versus libri III.*[25]) In argumenti dispositione dicit Maro se primum apud Romanos tractare rem ab aliis intactam, unde est paraturus Mantuae suae magnam laudem et honorem:

---

[24]) Hic portus Julius est vocatus. (Suet. Aug. 16.)

[25]) Versibus 26—33. depinguntur tempora, quae spectant ad annos 31, et 30. a. Ch. n. His enim versibus celebrantur victoriae, quas illis annis Octavianus deportavit. Temporum igitur descriptiones non egrediuntur a. 30 a. Ch. n. (Cnf. Ribb. Gesch. d. röm. Dicht. pag. 42.)

Primus ego in patriam mecum, modo vita supersit,
Aonio rediens deducam vertice Musas....

(v. 10—11.)

Nam primus inter Mantuanos Vergilius est consecutus nomen magni et veri poetae neque etiam ullus Mantuanus poeta ante illum fuit. Qui autem primus inter aliquem populum poeta exstitit, is potest pronuntiare se Musas in patriam suam duxisse (v.12):

Primus Idumaeas referam tibi, Mantua, palmas....

Porro sequitur splendissima descriptio templi, quod Caesari poeta vovet. (v. 12—39.) Qui relaturus laudem suam in patriam comparat hanc cum victoria, quam aliquis Graecorum ex sollemni certamine victor reportavit. Huius laudis et quasi victoriae monumentum exstruet poeta templum, in quo praemia victoriae deponet. Templum illud a se exstructum Vergilius vovet Augusto:[26])

Et viridi in campo templum de marmore ponam
Propter aquam, tardis ingens ubi flexibus errat
Mincius et tenera praetexit harundine ripas.
In medio mihi Caesar erit templumque tenebit.

(v. 13—16.)

In Octaviani honorem „victor" poeta, qui carminibus suis gloriam ac palmam est assecutus, editurus est ludos, in quibus quadrigae agitabuntur. Tantos est autem editurus ludos, qui propter maiestatem numinis Olympiaca et Nemaea certamina superent:

Illi victor ego et Tyrio conspectus in astro
Centum quadriiugos agitabo ad flumina currus.
Cuncta mihi Alpheum linquens lucosque Molorchi
Cursibus et crudo deceret Graecia caestu.

(v. 17—20.)

Ipse autem poeta vult „caput tonsae foliis ornatus olivae" (v. 21) dona ferre et sacrificia facere:

Iam nunc sollemnis ducere pompos
Ad delubra iuvat caesosque visere iuvencos....

(v. 22—23.)

Sed scenicos quoque ludos est editurus poeta:

Vel scaena ut versis discedat frontibus, utque

[26]) Ribb. Gesch. d. röm. Dicht. pag. 43.

Purpurea intexti tollant aulaea Britanni.[27])

(v. 24—25.)

Splendida ac magnifica erunt ornamenta templi, in Augusti honorem aedificandi. Ac primo facit poeta mentionem pugnae contra extremum Orientem pugnatae[28]) et Octaviano tribuit cognomen conditoris Romae:

In foribus pugnam ex auro solidoque elephanto
Gangaridum faciam victorisque arma Quirini. .

(v. 26—27.)

Iubebit etiam poeta sculptorem effingere victos Indos, Aegyptum subactam, Asiam, Armeniam, Parthos sub Romanorum potestatem redactos:[29])

Atque hic undantem bello magnumque fluentem
Nilum ac navali surgentis aere columnas.
Addam urbes Asiae domitas pulsumque Niphaten
Fidentemque fuga Parthum versisque sagittis. ..

(v. 28—31.)

In foribus huius templi exprimet Maro victorias Augusti de Bruto et Cassio atque de Sexto Pompeio partas, quibus reportatis Octavianus bis orans urbem intravit. Quae tropaea sunt duo: alterum de Oriente ex tremo victo, alterum de Occidente:

Et duo rapta manu diverso ex hoste tropaea
Bisque triumphatas utroque ab litore gentis [30])

(v. 32 33.)

Stabunt etiam statuae marmoreae tam pulchrae et artificiose pictae, ut vivere et spirare videantur, quasi gentis Iuliae progenitores. Erit et signum Invidiae, sed Invidiae victae et in Tar-

---

[27]) Octavianus paravit vel se parare simulavit vivo Vergilio expeditionem contra Britannos, sed numquam fecit. Hic locus referendus est potius ad C. Iulium Caesarem, qui postquam Britanniam vicit, multos captivos ad officia theatralia donavit.

[28]) Cnf. Georg. II, 171—172:
»Qui nunc extremis Asiae victor in oris
Imbellem avertis Romanis arcibus Indum«
et Aen. I. 289:
»Hunc tu olim caelo, spoliis Orientis onustum»

[29]) Ribb. Proleg. critica pag. 20.

[30]) Haec tropaea historice non sunt explicanda; nam poeta non memorat, quae facta sint, sed quae ita fore auguratur.

tarum detrusae. Quod signum symbolice debet significare iam esse coercita bella civilia:

Stabunt et Parii lapides, spirantia signa,
Assaraci proles demissaeque ab Iove gentis
Nomina Trosque parens et Troiae Cynthius auctor.
Invidia infelix Furias amnemque severum
Cocyti metuet tortosque Ixionis anguis
Immanemque rotam et non exsuperabile saxum.
(v. 34—39.)

In libri IV. exitu blanditur poeta Augustum et celebrat eius gloriam bellicam:

Haec super arvorum cultu pecorumque canebam
Et super arboribus, Caesar dum magnus ad altum
Fulminat Euphraten bello victorque volentis
Per populos dat iura viamque adfectat Olympo.
(v. 559—562.)

Hi allati versus repetuntur a poeta: nam optime conspirant cum vv. 170—173. l. II:

et te, maxume Caesar,
Qui nunc extremi Asiae iam victor in oris
Imbellem avertis Romanis arcibus Indum.

Quae verba intellegenda sunt de a. 30 a. Ch. n., quo Augustus victoria Actiaca reportata in Syria commorans, res Parthorum constituit. (Cass. Dio 51, 18.) Versibus autem extremis l. IV. designat poeta se illo tempore quo Augustus nominis sui gloria totum orbem terrarum impleret, magnam et ultimam quidem partem Georgicorum scripsisse. Neapoli tum carmina confecit, nam ipse profitetur:

Illo Vergilium me tempore dulcis alebat
Parthenope studiis florentem ignobilis oti,
Carmina qui lusi pastorum audaxque iuventa,
Tityre, tu patulae cecini sub tegmine fagi.
(v. 563—566.)

IV.

Priusquam Vergilius Georgica ad finem perduxit, iam cogitavit de scribenda Aeneide. Versibus 46—48 l. III. Georgicon promisit poeta:

Mox tamen ardentis accingar dicere pugnas
Caesaris et nomen fama tot ferre per annos,
Tithoni prima quot abest ab origine Caesar.

Sollemni poetarum artificio pronuntiat Maro se Augusti laudes ad annos posteriores firmaturum. Non enim Aeneida scribere, sed de Augusti rebus in animo habuit Vergilius, quam rem quoque in imagine templi v. 12—39. l. III. Georg. significavit, ut promissum suum gravius confirmaret. Sed consilio abiecto inseruit Aeneidi laudes Augusti et operi huic impendit XI annos. (29—19. a. Ch. n.)

In *Aeneide* proposuit sibi poeta complecti historiam et res gestas populi Romani. Nam dum describit res ac fata Aeneae, scite interposuit variis locis ea, quae a summis viris alio alia aetate sunt gesta.[31]) Octavianus tamen splendidissime est ornatus hoc carmine. Nullo modo poterat usquam virtus huius tanti viri populo Romano commendari, quam in eo opere, quod ad praedicandam eius populi gloriam spectat.

Pro temporum illorum ratione nihil praetermittit poeta, quin blandiatur ambitioni populi Romani,[32]) cum haec scriberet:

Tu regere imperio populos, Romane, memento;
Hae tibi erunt artes, pacisque imponere morem,
Parcere subiectis et debellare superbos.

(Aen. VI, 852—854.)

Neque alium quemquam meliorem invenit Maro, cuius persona esset aptior ad suum consilium, quam Aeneam, primum conditorem rei Romanae et auctorem ipsius Iuliae gentis, in quam a Divo Iulio Caesare Octavianus Augustus erat adscitus. Itaque totam poeticam artem suam in populi Romani et gentis Iuliae gloria celebranda versari Vergilius voluit. Hoc enim eius consilium fuisse praeter totum argumentum carminis multi quoque singuli loci poematis demonstrant.

Quare iam proximum est examinare atque inquirere in eos Aeneidis locos, qui ad Augustum pertinent. Hanc locorum seriem considerantes retinebimus ordinem librorum eum, quo nunc exstant.

---

[31]) Cnf. exempli causa VI, 756—883, et IX, 626 – 728.

[32]) Schantzius. Hist. litt. Rom. pag. 43.

Versibus 254—256. l. I. continetur nobilis Aeneidis locus, in quo sub specie vaticinii Romae origo explicatur,[33]) incrementum et splendor Augusti imperii.[34]) Poeta fingit Iovem futuram populi Romani magnitudinem praedicentem. Hic paravit sibi Vergilius occasionem ingeniosa ratione adulandi Augustum, quem Julium Caesarem vocat (vv.286—288):

Nascetur pulchra Troianus origine Caesar,
Imperium Oceano, famam qui terminet astris,
Julius, a magno demissum nomen Julo.

Cum a. 28 a. Ch. n. ab Octaviano ludi quinquennales propter victoriam Actiacam acti essent (Dio 53, 1.), mentionem horum fecit Maro *l. III. v. 280:*

Actiaque Iliacis celebramus litora ludis.

Postquam Sibylla duce Aenea ad inferos se contulit, fecit ibi Anchises ei recensum Albanorum Romanorumque regum nobiliumque aliquot Romanorum nomina percurrens, descendit ad laudes Julii Caesaris et Augusti *(lib. VI, 756—859.)*[35]) Admodum prudenti iudicio poeta rem ita instituit, ut ab ipso otirpis progenitore in filii, eiusdem stirpis auctoris, gratiam recensus hic exhiberetur. Et iterum legimus splendidissimum locum de Octaviani Augusti laudibus:

Hic Caesar et omnis Juli
Progenies, magnum caeli ventura sub axem.[36])

„Augustus Caesar, Divi genus“ Octavianus vocatur, nam erat Octavianus filius adoptivus Caesaris, in deorum mumerum recepti, qui

---

[33]) Ribb. Gesch. d. röm. Dicht. pag. 92.

[34]) Augustus, cui poeta tum carus et largis donis erat ornatus, litteris ex Cantabria missis a. 25 a. Ch. n. flagitasse Vergilium dicitur, ut sibi carmen quam primum mitteret. (Cnf. Donat. § 46.) Postea autem libros II, IV, VI iussit sibi recitari. Cnf. Donat. § 47.) quocum de quarto consentit Serv. ad Aen. IV, 324. (Ribb. Gesch. d. röm. Dicht. pag. 56.)

[35]) Ribb. Gesch. d. röm. Dicht. pag. 92—93.

[36]) Hi versus ad Caesaris consecrationem spectare videntur (a. 42 a. Ch. n.). Simil. Aen. I, 286: Nascetur pulchra Troianus origine Caesar.

. . . . aurea condet
Saecula qui rursus Latio regnata per arva
Saturno quondam, super et Garamantas et Indos
Proferet imperium.

(v. 793—796. l. VI.)

Non solum propter pacem Romanis institutam laudatur Octavianus et ob fines imperii Romani victoriis prolatos, sed etiam ob expeditiones remotissimas et itinera suscepta ad ordinandas provincias:

iacet extra sidera tellus,
Extra anni solisque vias, ubi caelifer Atlas
Axem humero torquet stellis ardentibus aptum.

(v. 796—798.)

Futura Octaviani magnitudo eiusque maiestas iam multis signis ac praesagiis est ostenta, tamquam in remotissimis regionibus terrae signa eius splendoris et potentiae animadversa essent:

Huius in adventum iam nunc et Caspia regna
Responsis horrent divum et Maeotia tellus
Et septemgemini turbant trepida ostia Nili.
Nec vero Alcides tantum telluris obivit,
Fixerit aeripedem cervam licet aut Erymanthi
Pacarit nemora et Lernam tremefecerit arcu;
Nec, qui pampineis victor iuga flectit habenis,
Liber, agens celso Nysae de vertice tigris.

(v. 799—806.)

M Marcellum, Octaviae, sororis Augusti, filium ereptum immatura morte a. 23 a. Ch. n. (Dio 53, 30.), miris effert laudibus in caelum poeta eiusque mortem ornavit pulcherrimis versibus Aeneidis l. VI, 861—887. Quibus de versibus lectis et remuneratione honestatis sic notat Donatus § 47: „Sed hunc (i. e. VI. liberum recitavit Vergilius) ob Octaviam: quae cum recitationi interesset, ad illos de filio suo versus: ‚Tu Marcellus eris' defecisse fertur atque aegre refocillata dena sestertia pro singulo versu Vergilio dari iussit“: Summam enim habuit populus Romanus exspectationem de M. Marcelli virtutibus:

„Quis, pater, ille, virum qui sic comitatur euntem?
Filius anne aliquis magna de stirpe nepotum?
Qui strepitus circa comitum! quantum instar in ipso!
Sed nox atra caput tristi circumvolat umbra“:

(v. 864—867.)

Sed dei solent homines nimia virtute insignes praematura morte eripere:

Mimium vobis Romana propago
Visa potens, Superi, propria haec si dona fuissent.
(v. 871—872.)

Itaque magnopere est optandum, ut Marcellus fata perrumpat e mortem praematuram effugiat. At id ei non contigit, nam mor-t tuus est:

Heu, miserande puer, si qua fata aspera rumpas!
Tu Marcellus eris — Manibus data lilia plenis,
Purpureos spargam flores animamque nepotis
His saltem accumulem donis et fungar inani
Munere. (v.883—887.)

Gramatici narrant his ultimis potissimum versibus allatis vehementer Augustum esse commotum.

Septimo Aeneis libro Maronem ultimis quoque annis vitae suae occupatum fuisse demonstrant vv. 601—608. His item versibus poeta blanditur Augustum et effert eius gloriam bellicam:

Mos erat Hesperio in Latio, quem protinus urbes
Albanae coluere sacrum, nunc maxuma rerum
Roma colit, cum prima movent in proelia Martem,
Sive Getis inferre manu lacrimabile bellum,
Hyrcanisve Arabisve parant, seu tendere ad Indos
Auroramque sequi Parthosque reposcere signa....
(v. 601—606.)

Getas posuit poeta omnino pro barbaris Occidentis nationibus ab Augusto devictis. Cum Dacis autem, quibus Getae erant vicini, bellum gessit M. Crassus a. 27 a. Ch. n. Quae iam vv. 294—296. l. I. expressit noster:

„Claudentur Belli portae; Furor impius intus
Saeva sedens super arma et centum vinctus aënis
Post tergum nodis fremet horridus ore cruento“...

repetit quoque et l. VII. v. 607—608. mentionem de clauso Iani templo a. 29 a. Ch. n. (Dio 51, 21.), quasi in hoc templo Bellum et Mars vincti tenerentur:[37])

---

[37]) Ribb. Proleg. crit. pag. 64. Nam primus Aeneidis liber maxime merebatur, ut Octaviano recitaretur propter laudes regni ab Iulo usquo ad Caesarem Octavianum deducti.

Sunt geminae Belli portae — sic nomine dicunt —
Religione sacrae et sacri formidine Martis....
(v. 607—608.)

Nunc transeamus *ad librum VIII*, quo continetur illa descriptio clipei (vv. 625—731.), a Vulcano Aeneae fabricati.[38]) Qui clipeus sic formatus erat, ut eius margo, in octo areas divisa, contineret ex historia Romanorum petita gravissima argumenta et res gestas, media pars tamquam summum argumentum totam rem cumulo augens, exhiberet pugnam Actiacam cum triplici Augusti triumpho: Dalmatico, Actiaco, Alexandrino.[39]) (Suet. Aug. 22 Dio 51, 21.) Quae clipei descriptio respicit triplicem Caesaris Octaviani triumphum a 27 a. Ch. n. decretum. Posterioris temporis signa desunt. Hunc igitur sunt referendi vv. 714—728. l. III.

De Augusti ovatione sic noster poeta:

At Caesar triplici invectus Romana triumpho
Moenia dis Italis votum immortale sacrabat,
Maxuma ter centum totam delubra per Urbem.
Laetitia ludisque viae plausuque fremebant;
Omnibus in templis matrum chorus, omnibus arae;
Ante aras terram caesi stravere iuvenci.
(v. 714—719.)

Et cum triumphans Octavianus intravisset urbem, sedebat pro tribunali sub porticu templi Apollinis Palatini et observabat praetereuntem pompam triumphalem, cum portarentur aureae coronae et ducerentur captivi una cum fluviorum signis:

Ipse sedens niveo candentis limine Phoebi,
Dona recognoscit populorum aptatque superbis
Postibus; incedunt victae longo ordine gentes,
Quam variae linguis, habitu tam vestis et armis.
Hic Nomadum genus et discintos Mulciber Afros,
Hic Lelegas Carosque sagittiferosque Gelonos
Finxerat; Euphrates ibat iam mollior undis,
Extremique hominum Morini Rhenusque bicornis,
Indomitique Dahae et pontem indignatus Araxes.
(v. 720—728.)

---

[38]) Ribb. Gesch. d. röm. Dicht. pag. 43.

[39]) Fortigerus. Opera Vergilii. Pars III. pag. 164. adnot.

Libri IX. vv. 638—643. adscribendus est locus eis, quibus celebratur memoria pacis per orbem terrarum restitutae et Iani clausi. Quae omnia certe post a. 29 a. Ch. n. scripta esse videntur:

Aetheria tum forte plaga crinitus Apollo
Desuper Ausonias acies urbemque videbat
Nube sedens atque his victorem adfatur Iulum:
„Macte nova virtute, puer; sic itur ad astra,
Dis genite et geniture deos. Iure omnia bella
Gente sub Assaraci fato ventura resident,
Nec te Troia capit“:

(v. 644—64[illegible].)

Apollo adfatur Julum „geniture deos“ propter Julium Caesarem et Octavianum, qui ad gentem Juliam pertinent. Inde proficiscitur etiam illa maxima gloria et maiestas gentis Juliae.

V.

In his subsistamus et ad summam commentationis veniamus. Sed ut ea, quae sunt superioribus exposita, brevibus comprehendantur, res ita se habet:

Hi, quos ex P. Vergilii Maronis operibus protulimus, loci luculenter demonstrant et docent poetam plane imperatori ac patrono suo deditum fuisse. Non solum enim Augustus devinxit sibi poetam beneficiis et sua in eum benevolentia, sed etiam maiestate et splendore imperii. Inde appellat noster Augustum divinitus de se meritum deum (Buc. I, 6.), quem colit et cui tamquam Lari domestico sacra facit. (Buc. I, 44.) Celebrat cum ob devictos populos Orientis (Aen. VI, 795; VII, 406.), ob pacem restitutam per orbem terrarum. (Aen. IX, 642.) nullam denique dimittit fere occasionem summis laudibus Octaviani ad caelum prope efferendi.

Quam rem duabus de causis fecit Maro: primum illius aetatis Romani prompti erant ad adulandum eum, qui maximam in civitate tenebat potestatem, i. e. imperatorem; deinde adductus est poeta, ut Octavianum celebraret, beneficiis et muneribus. quibus ab eo erat honestatus. Octaviani enim quasi patrocinio

utebatur Maro et „quaecunque ab Augusto peteret, repulsam nunquam habuit".[40]) Eius voluntati libenter satisfaciens scripsit Aeneidem et in eius persona celebrat maiestatem populi Romani. In Octaviani enim persona duae illae Romanorum ingenii summae virtutes, fortitudo et pietas, inter se consociatae erant. Itaque sub persona Aeneae latet Princeps Augustus, qui natus esse videtur Maroni, ut maiestatem et gloriam populi Romani eveheret ad summum fastigium.[41])

Quae omnia si respicimus, non possumus non confiteri Vergilium ex intimo corde animoque suo Augusto esse subiectum: quo ex fonte oritur etiam eius ad Augustum animus plane adstrictus eiusque reverentia et pietas, quae iubet Maronem colere Octavianum tamquam suum deum.

Ut denique quae de Maronis virtutibus eiusque moribus antiqui innotuerunt, adiciamus, omnes tradunt adeo cum benignum et humanum fuisse, ut semper omnia cum amicis communia haberet. (Donat. § 66) Fuit porro adeo mansuetus et expers omnis invidiae, ut nemini obtrectaret et gauderet, si quid egregii ab alio perfectum esset, ac si id ipse fecisset. (Donat. § 65. sq.) Quare non est mirum Vergilium sibi omnes fere eximios viros suae actatis adeo conciliasse, ut ab iis semper coleretur et amaretur. Cum iis quoque contraxit intimam amicitiam et familiaritatem. (Donat. § 38. sq. et 67.) Tamen habuit et inimicos, qui Octaviani potissimum amicitiae (quem in Eclogis nimis adulatus esse videbatur) ei inviderent et carmina eius vituperarent vel adulationis accusarent. (Donat. § 61. sq.)

Si autem adulatio quoque apud Vergilium invenitur, non praetermittendam esse hanc mentionem putamus adulationis genus illis temporibus non obscurum fuisse aut celebrare imperatores aut eis componere opera vel venditare vaticinia, quibus iam olim imperium aut insignis aliqua felicitas ipsis ostenta fuissent, — ut et nunc quoque saepe fit.

---

[40]) Donat. § 24.

[41]) Schantzius. Hist. litt. Rom. pag. 38.